

PRAEFATIO.

Decem fere abhinc annos et scriptores latinos cogniturus et rei mathematicae studiosus Boetio coepi operam dare nec multo post acrius in mathematica in primis eius opera incumbendi auctor fuit mihi Halmius, ad accuratius cognoscendam linguam latinam hinc quoque aliquantulum afferri posse ratus. Prius tamen rebus arithmeticis utilem fructum afferre me posse putavi, quaeque inveneram publici iuris feci libello de Boetii geometria edito¹⁾). Opiniones meas aggressus est vir doctissimus Mauritius Cantor²⁾ meque inpulit, ut, quae minus recte de Boetii arte ratiocinandi et computandi statuerat, refellere conarer argumentis quam maxime certis³⁾). Pauca etiam de geometria Boetii protuli⁴⁾), quibus a Boetio eam profectam non esse comprobarem.

¹⁾ Gerbert, die Geometrie des Boethius und die indischen Ziffern. Erlangen, Bläsing 1861.

²⁾ Mathematische Beiträge zum Kulturleben der Völker, Halle, Schmidt 1863.

³⁾ Zeitschrift für Mathematik und Physik, IX, S. 73—95, 145—171, 297—330. X, S. 241—282.

⁴⁾ Neue Jahrbücher für Philologie und Pädagogik. 1863. S. 425—427.